# ANCILE
## CÆLO DELAPSVM
Quondam Romam in Scipionibus
Nunc Poloniam in Serenissimis Ianinijs
*DEFENDENS*
In Gentilitia Columna
*ILLVSTRIS ac MAGNIFICI DOMINI*
**D. LVCÆ CIECISZEWSKI**
PINCERNÆ TERRÆ LIVENSIS
*A*
Magnifica Iuventute Rhetorica Collegij Wierzbowiani
Scholarum Piarum
GORÆ.



Pro Exercitio Mensis Iulij
*REPRÆSENTATUM*
Anno Domini 1684.



*Superiorum permissu.*



VARSAVIÆ,
Typis Collegij Scholarum Piarum.

# PRÆFATIO
## AD
## Illustrem & Magnificum Dominnm.

N*ON solùm magnanimis Heroum mentibus victoriarum cursus positis finire Columnis solenne est; uerum etiam nobis annuũ studiorũ nostrorũ decursũ Gentilitiâ Tuâ definire Columnã inter gloriã esto* Illustris & Magnifice Domine. *Scilicet meta nostrorum uotorũ es, ad quam, laboris nostri ponimus coronidẽ, quia Magno Tuo posthac tantùm uacaturi Nomini. Nec indignêre, Gentilitiã Columnã Tuã in Rhetorices fontibus pro meta defigi, quia triumphos tantùm illa terminare didicit: ubi etiam ad perantiquæ Domûs Tuæ in Patria hac deriuare possis gloriã, primũ Poloniæ Coronatum Boleslaũ in principibus magnarum Prouinciarum fluuijs, uictoriarum suarum posuisse monumenta, Columnas; cùm & Rhetorices non ita angustis marginibus circumscribantur flumina, ut ijs exæquari non possint: imò nullibi æternæ memoriæ securior es, quam si placidis horum alueis Nominis Tui concredas cymbam. Admitte ergo studiorum nostrorum meta vocari* Illustris & Magnifice Domine, *ad quã vel ideo annui laboris nostri cursum coronari cupimus, quòd in Gentilitia Columna Tua, Magnũ* Serenissimi Regis Nostri IOANNIS *non ab alia quapiam litera, sed à Tua Columna incipiens Nomen adoremus. Et sanè Regia Maiestas nulli melius nomen suum sustentandum concredere potest fulcro, quàm notæ Ciuiũ fidei; quæ semper in longa Majorum Tuorum serie erga suos Principes præclarissimè enituit: hinc ad quosuis honorũ gradus compendiosã Tibi & ominamur & vouemus viam, idq; vno omnium ore:*

Nomini TVO devinctissimus
Adamus Szałápski
Subdapiferides Gostinensis Auditor Eloquentiæ.

## ANTIPROLOGVS

NVma Pompilius Ancile Cælitus datum excipit, eâ ſpe quod tamdiù Romanum Imperium duraturũ, quamdiu hoc ſcutum permanſurum ſit: Hinc Salios Sacerdotes in Martis honorem creat, ijſqué Ancile cuſtodiendũ committit, quod inter enſium plauſus in Gentilitia CIECISZEVIORVM Columna reponunt.

## PROLOGVS

Rem futuram aperit & dedicat.

PARS 1ma.

Induct. 1ma. Roma â Scipionibus ſuſtentata, victoriam inter tubarum clangorem decantat; trophæum ex clypeis erigit, quòd Hoſtilitas triumphaliter draconibus vecta demoliri conatur, ſed fruſtra, reſiſtentibus contra Scipionibus.

Induct. 2da. Annibal victus à Scipione Africano, Romanorum fugit vincula, & â fortuna relictus, deſperat.

Induct. 3tia. Antiochus contra Romanos bellaturus ſupplicem Annibalem in protectionem recipit, eumqué exercitui ſuo præficit.

Induct 4ta. Hoſtilitas cum Ariſtone Annibalis miniſtro Carthaginē perturbat, cōtra Romanos bellum apparat.

Induct. 5ta. Senatus Carthaginenſis per vota conſulit de bello ſuſcipiendo: ſed concludit, ſeditionem in vrbe pacandam, Romā Legatos expediendos, qui Pacta pacis confirment.

*Interludium.* PARS

## PARS 2da.

Induct. 1ma. Hostilitas ab Otio Carthaginensium pulsa, & cæde comitata in Regiam Antiochi reditum tētat: sed ubi ab Otio iterum arcetur, Romā aggredi parat, Cæde furtìm in aulam Antiochi irrumpente.

Induct 2da. Roma ab Hostilitate territa, rursus Scipionum Africani & Asiatici scutis excipitur, per Feciales bellum Antiocho indicit, cujus omen bonum per hastas ad Columnam jactas accipit.

Induct. 3tia. Hymenæus, Luxus & Otium aulam Antiochi occupant, fit epithalamium, ubi Orationes Nuptiales applicantur, quæ tamen omnia cædes funestat, Antiocho ad Thermopilas victo.

Induct. 4ta. Applicantur funesto actui Orationes Funebrales, ubi alterno redeunt choro risus & gemitus; at Antiochus cùm vires bello quassatas restaurat, â Scipionibus rursus uincitur.

Induct. 5ta. Roma Hostilitate captiuâ in scutis Scipionum triumphat, & robur suum Columnâ CIECISZEVIORVM firmat. *Interludium.*

## *EPJLOGVS*

Apodosim ad Poloniam facit, dicitqué, pro Ancili SERENISSIMVM IANINA esse, & plures hìc dari Scipiones qui Scutis defendunt Patriam. CIECISZEVIORVM Columnæ originem â Romanis deducit, & ita illâ Poloniā, ut olim Romā stabiliri probat, & Illustri ac Magnifico Pocillatori pro attentione gratias habet.